Pamplona

Noverint universi presentes litteras inspecturi seu etiam

audituri. Quod cum compositio permutacionis inter clare memorie illustrissimum ac serenissimum principem et dominum dominum Philippum olim Regem Francie et Navarre pro se et successoribus suis in Regno Navarre et inter nos Arnaldum miseratione divina Pampilonensem episcopum, magistrum Garsiam de Eguerre priorem et capitulum Pampilonensis ecclesie pro nobis successoribus nostris pro evidenti ipsius ecclesie utilitatem tractata ordinata et concordata fuisset super iurisdictione temporali cum certis redditibus Civitatis Pampilonensis olim ad dictam ecclesiam spectantibus in ipsum Regem et suos successores in dicto Regno Navarre transferendis prout apparet per litteras dicti domini Regis nobis sigillo eius pendenti in cera viridi et filo serico sigillatas quarum tenor sequitur in hec verba. Philippus dei gratia Francorum et Navarre Rex. Notum facimus universis presentibus et futuris quod ad magestatis nostre presentiam in Francia venientes dilecti et fideles nostri Arnaldus Pampilonensis ecclesie episcopus Religiosique viri magister Garsias de Eguerre prior, Santius hospitallarius et magister Garsias archidiaconus sancte Gemme Pampilonensis ecclesie memorate canonici hospitallarius et archidiaconus et capituli Pampilonensis procuratores ad infrascripta solempniter fuerant deputati nobis conquerendo intimarunt qualiter gravia dudum scandala fuerant suscitata et predicta Pampilonensis violata in bursa et effracta ecclesia Civitas Navarrerie et burgus sancti Michaelis dicte civitatis depopulata et destructa omnino propter diversas controversias lites et discordias olim inimico homine super seminante inter predecessores nostros Reges Navarre et antecessores eorundem episcopi hospitallarii archidiaconi mense et capituli ac etiam memoratas exortas super quibus nec non super mero et mixto imperio iurisdictione superioritate et dominio dictorum Navarrerie burgi sancti Michaelis et etiam burgi sancti Saturnini et populatione ac castris de monte [illegible] de omnium iurium honorum et pertinentiarum eorundem. Et super dampnis et iniuriis propter predicta utrique illatis et pluribus aliis contentiosis inter clare memorie dominum Philippum Francorum Regem genitorem nostrum pro se et inclite recordationis carissima domina matre nostra domina Johanna Francorum et Navarre Regina eiusdem domini genitoris nostri consorte fidelibus et successoribus eorundem et Michaelem quondam Pampilonensem episcopum capitulum et archidiaconum mense et hospitalarium dicte ecclesie pro se et successoribus eorundem quedam dudum compositio facta fuit de qua constare dicebant litteras dicti domini genitoris nostri ac etiam domini Ludovici germani nostri eorum sigillis in cera viridi sigillatas verum cum dicta compositio diversis impedimentis supervenientibus non fuisset executioni mandata nec talis quod per eam vel per alia remedia dudum adhibita dicta ecclesia optata cunctis mortalibus pax et tranquillitas [illegible] cum predictorum intimatione humiliter supplicarunt quatinus clementie nostre oculos ad ipsos et predictam ecclesiam ad honorem beate Marie dedicatam et ad eum [illegible] ac expedit quod actione ob premissa [illegible] convertentes pacem daremus et